

» matura, de illorum consilio eorundem venetorum appellationes
 » praetensas et quascumque alias, quas quomodolibet forsitan inter-
 » posuerunt a nobis occasione contentorum in nostris litteris praedi-
 » ctis tam postquam litterae ipsae publicatae fuerint, quam ante-
 » quam publicarentur, irritas et inanes ac sacrilegas esse, et eosdem
 » Joannem Mocenigum ejusque consiliarios quoscumque qui hujus-
 » modi praetensas appellationes interposuerunt, aut illis adhaese-
 » runt, seu eas ratas et gratas habuerunt, ac Ludovicum de Zam-
 » bertis, Philippum et Franciscum de Morandis, nec non Andream
 » Pacis laicos Venetiarum, qui ut publici notarii de hujusmodi ap-
 » pellationibus publicum confecerunt instrumentum, ac Jacobum
 » de Pierleonibus et Danielem Zutho juris doctores venetos, qui ut
 » testes dictae appellationi interfuerunt, excommunicationis sen-
 » tentiam et praeter illam notarios et testes praedictos, et qui ap-
 » pellationes ipsas dictarunt et scripserunt, aut ad illas interponen-
 » dum praestiterunt auxilium, consilium, vel favorem, advocacionis,
 » procuracionis et tabellionatus officiorum, privacionis poenam,
 » juxta ejusdem Pii praedecessoris constitutionem praedictam, in-
 » currisse, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus:
 » ac universis et singulis praelatis et personis ecclesiasticis eadem
 » auctoritate mandamus, ut cum desuper fuerint requisiti, faciant
 » eosdem ducem, consiliarios, notarios et testes excommunicatos et
 » aliis poenis praedictis irretitos publice nuntiari et ab omnibus
 » arctius evitari, donec compuncti corde spiritum assumentes con-
 » siliu sanioris meruerint ab excessu, excommunicationis sententia,
 » aliisque poenis praedictis absolutionis beneficium obtinere. Con-
 » tradictores per censuras etc. Non obstantibus constitutionibus et
 » ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si excom-
 » municatis praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim
 » a praedicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excom-
 » municari non possint per litteras apostolicas non facientes ple-
 » nam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi
 » mentionem. Nulli ergo etc, nostrae declarationis, mandati et